



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 14. Eucharistia sumpta sub una tantùm specie, producit-ne tantumdem gratiæ

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



menta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire?

Resp. Ad hujus Canonis intelligentiam sciendum est, quod eo tempore sicut & sancti Leonis, Manichæi asserentes, vinum esse creaturam diaboli, latitabant inter Christianos, & ne proderentur, Communionem simul cum Catholicis sumebant: sed superstitiosè abstinebant à perceptione sanguinis Christi sub specie vini, ut patet ex sancto Leone qui ait: *Cùmque ad tegendam infidelitatem suam Manichæi nostris audeant interesse mysteriis: ita in Sacramentorum Communione se temperant, ut interdum tutius lateant, ore indigno Christi Corpus accipiant, sanguinem verò redemptionis haurire omninò declinent: quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines ex his manifestentur indicis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati, & proditi à sanctorum societate, Sacerdotali autoritate pellantur.*

S. Leo. Serm.  
4. de temp.  
Quadrag.

Quare, ad dignoscendos Manichæos, decrevit Gelasius Papa, quod in quæsito retulimus.

Tantum igitur abest, ut ex hoc Decreto concludi possit, non licere Eucharistiam sumere sub una tantum specie, quin potius oppositum inferri debet, cum ex hoc Decreto appareat, antea licitum fuisse Fidelibus sub una tantum specie Communionem sumere, unde facilius poterant Manichæi inter Fideles delitescere, & hoc prohibitum deinde fuit ad aliquod tempus, ut Fideles à Manichæis discerni possent.

Quest. 14. Eucharistia suscepta sub una tantum specie, producit-ne tantundem gratiæ ac si sub utraque sumeretur?



De Sacram. Euchar. Cap. X. 189

Resp. Ita asserendum videtur ex Doctrina Concilii Tridentini: *Fatendum esse, inquit Concilium, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nullam gratiam necessariam ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.*

Et Divus Hilarius relatus in Canone, ait: *Vbi pars est Corporis, est & totum: eadem ratio est in Corpore Domini qua in manna, quod in ejus figura precessit, de quo dicitur, Qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, invenit minus. Non est omnino quantitas visibilis in hoc aestimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis.*

Denique sanctus Thomas ait: *Potest autem à populo Corpus sine sanguine sumi: nec exinde sequitur aliquod detrimentum: Quare asserere debemus, Sacramentum sub una specie datum tantam conferre gratiam, ac si traditum esset sub duabus.*

*Quaest. 15. Debent-ne sine ulla necessitate plures hostiae particulae tradi personis & devotis, ut inde majorem percipiant fructum?*

Resp. Certum est, ex his quae diximus ex sancto Hilario, absque necessitate tradendas non esse, ut scilicet uberius fructus percipiantur; cum non sit omnino quantitas visibilis in hoc aestimanda Sacramento, sed virtus Sacramenti spiritualis.

Quare Innocentius XI. abolere volens hunc abusum à speciosa pietate inductum, approbavit Decretum Congregationis Concilii Tridentini circa Communionem quotidianam 12. Februarii 1679. quod sic habet: *Episcopi, Pastores, seu Confessarii insuper admoneant,*

Conc. Trid. sess. 21. cap.

3<sup>o</sup>

Can. Vbi pars est. De Conc. dist. 2<sup>a</sup>

D. Tho. 3<sup>o</sup> p<sup>o</sup> q. 80. art. 1<sup>o</sup> ad 3<sup>a</sup>